delectatur sicut famelicus qui bono ci-
bo reficitur. Unde in canticis dicitur anima sancta quod
dilectus meus pascitur inter lilia id est inter
opera munda. Sed huic cibo dei fel et
acetum commiscemus cum bona opera in peccato
mortali facimus cum ipsum per admixtio-
nem carnalitatis et cupiditatis immunde con-
dimus et rancoris amaricamus. Ita quod ipse
potest dicere de nobis Ego cibaui et potaui
eos frumento et vino et oleo lacte et mel-
le et butiro et in sacro altaris cibo et po-
to eos cotidie corpore et sanguine filio (?) quod pro
ante dederunt in escam meam fel et in siti
mea potauerunt me aceto. Hec est sitis
qua ipse patiebatur in cruce cum clama-
bat. Sitio. Non enim siciebat vinum nec
aquam sed fidem et salutem nostram. Sic
ergo patet qualiter deus est pater noster racione
donacionis. In hoc pre considerabat ille
leprosus de quo legitur in vitis patrum cui
cum venerunt quedam grece volentes dare
ei elemosinam quam nolebat accipere dicens.
Ecce manducans palmas habeo quas ope-
ror et fiscos plectens et ex eis manduco
panem. Sic legitur ibidem de vidua in eadem
ciuitate obseruacione (?) cum Didagirice (?) que
erat nuda cum filiabus suis quas cum ipsi
vellent induere tamen noluit dicens Ego
habeo prouisorem meum deum patrem celeste
et vos cum vultis me tollere hodie. Item
ibidem legitur sic obtulit quidam senem (?) pe-
cunias multas dicens. Habe ad expen-
sas tuas quia senuisti et infirmus es.
erat enim leprosus. Qui respondit Tu post
sexaginta annos venisti mihi auferre
nutritorem meum et patrem meum. Ecce
tamen tempus habeo in infirmitate mea nul-
lo indigui deo tribuente et pascente
me. Et non acquieuit accipere. Sicut igitur
confidebat hic in celesti patre non oporteret
eum timere de defectu corporis sine natura-
li vite. Sicut diffidunt illi qui time-
tes ne sibi vel uxoribus et filiis suis
deficiant nutrimenta vite fiunt usurarii

et dant animam suam dampnacioni eterne. Et
deum minus temporalia diligunt et eterna negli-
gunt. utraque in fine amittunt. Immo
propter ipsorum diffidenciam incurrunt aliquam pau-
pertatem et temporalem et eternam. Exemplum habemus
in vitis patrum de quodam ortulano qui la-
borabat et omnem laborem suum expendebat
in elemosinam et tantum sibi retinebat quantum
ad victum illius sufficeret. Postea vero sa-
thanas inmisit in corde eius dicens Col-
lige tibi aliquantum pecunie ne cum senueris
aut egrotaueris opus habeas expensas.
Et collegit et impleuit lagenam de nummis.
Contigit autem infirmari et putrefieri pedem
eius et expendit quod collegerat in
medicos et nichil ei prodesse potuit. Pos-
tea vero venit quidam de expertis medicis et
dixit ei Nisi incideris pedem tuum totum
corpus tuum putrefiet. Et constituerunt
ut inciderent ei pedem. Ille autem nocte
rediens ad semetipsum et penitenciam agens
de hiis que gesserat ingemuit et fleuit dicens.
Memento domine operum meorum priorum que
faciebam cum laborarem in orto et que pau-
peribus ministrabam. Et cum hec dixisset stetit
angelus domini et dixit ei. Ubi sunt nummi
quos collegisti et ubi est spes de qua tractas-
ti. Tunc intelligens dixit Peccaui domine
ignosce mihi et amodo ulterius hoc non fa-
ciam. Tunc angelus domini tetigit pedem eius et
statim sanatus est. Et surgens mane abiit
in agro operari. Venit autem medicus secundum
constitucionem cum ferramentis ut secaret
pedem eius. Et dicunt ei exiit a mane
operari in agro. Tunc admirans medicus
perrexit ad agrum ubi operabatur ille Et
videns eum fodientem terram glorificauit deum
qui ei reddiderat sanitatem. Non ergo debemus
diffidere de patre celesti qui voluit esse eius
fideles filii et recognitione eius beneficia
michi facta. Rogemus dominum ut det nobis
ita uti beneficiis suis temporalibus in hac vita
quod digni simus eternis beneficiis in futuro Amen.

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 3v – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69204)